

ti ferūt: & ad se receptis omnibus exēplis, Pōtifici tantūm atque Cardinalibus & intimis amicis legendum dabat. Nam & illis probare sese volebat, & simul verebatur, ut est credibile, ne si vulgō legeretur, in eorum reprobationem incurreret, qui longē diuersum ab ipso non semel audissent.

LIBER VNDECIMVS.

Qum Augustani demum religionem mutassent, & Ecclesiastici plarique, genere nobiles, hanc ob causam irati, deseruis sent urbem, senatus ad Cæsarem, Ferdinandum regem, & omnes Imperii ordines edicto scripto, facti sui rationēm explicat: & quām amicē cum illis egerit, quām multa pertulerit: quām autem illi sese gesserint odiofē, & quomodo seditionem aliquoties in vrbe conati sint excitare. Cæsar Genua redditurus in Hispaniam, Matthiam Heldum procancellarium in Germaniam amandat, qui Ianuario mense Vienna digressus à Ferdinando Romanorum Rege, & in itinere certior factus per Saxonem atque Lantgrauium, de ipsorum conuentu, quum Smalcaldiam venisset Februarii die decimoquinto, multis verbis persuadere conabatur, vt sese auctoritati futuri Concilii submitterent, & quæ in eo decreta forent, approbarent. Deinde vt iudicio Cameræ starent, & à pace Noribergica suo fœ-

Heldus in
Germaniæ
missus.

deri adscriptos excluderent, Augustanos maximē. Venit eō etiam legatus Pontificius, Episcopus A quensis, cum literis ad Electorem Saxoniæ, quibus eum Pontifex ad Concilium hortabatur. Sed is lusit operam, neque magna eius fuit habita ratio: & certo die quum Lantgrauii colloquium expetiuerat, ille non sibi vacare dixit: & eodem ferè momen to Lutherum inuisit, grauiter ex calculo tunc ibi decubentem. Quod quidem è suo diuersorio legatus videre poterat. Pontifex interea Concilium ad Calendas usque No uembreis producit, eiūsque rei causam esse dicit, quòd Mantua Princeps Fridericus, militum præsidio muniri yrbeam, & sumptus in eam rem fieri velit: quod sibi præter expectationem euenerit. Non multò post Anglię Rex, & suo & regni procerum nomine scriptum euulgat: Concilium à Pontifice conuocatum esse, cuius illæ rei potestatem non habeat, quo tempore bellum ardeat Cæsaris cum Rege Galliæ, & Mantua designatum esse locum, quò non omnibus venire tutum sit, neque commodum. Se quidem ex animo cupere Concilium Christianum: sed ad Pontificium minimè venturum esse, neque legatos etiam misfurum. Nam hoc illis esse proprium, ut sui emolumenti causa, Christum & veritatem in eiusmodi conuentibus opprimant. Nihil ve-

rō

Id sibi cum Episcopo Romano esse communi-
ne: nec illius edicta magis ad se pertinere,
quam cuiusvis alterius Episcopi. De Cæ-
faris atque Regum auctoritate conuocari
solita esse Concilia. hunc sanè morem recu-
perandum esse, hoc præsertim tempore, quan-
do tam graues habeat accusatores Pontifex:
neque tamen absque vitæ periculo repre-
hendi posse & accusari coram, nisi legitimi-
num habeatur Concilium. Cæsar totum
hunc annum in Hispania permanxit. Exer-
citus autem eius Belgicus Floro Burensi du-
ctore, Sanpaulum oppidum & arcem in A-
trebatibus Iunio mense vi capit, præsidariis
omnibus necatis. Inde profectus in Morinos,
Terouennam obsidet: frustra tamen. Ibi de-
mum induci factæ sunt decem mensium, in ea
solum regione. Nam in Gallia Subalpina seu
Pedemontio, vigebat bellum nihilo feciis. Et
quum deinde Taurini premerentur inopia mi-
lites, obsessis omnibus viis, & intercluso com-
meatu: Galliæ Rex autumni tempore conscri-
ptis copiis, filium natu maiorem Henricum
& Annam Mommorancium eò mittit, qui
ferro patefacta via, præsentem inediā su-
bleuarent. Octobri mense Ferdinandi
regis exercitus, in quo & Saxones erant e-
quites, & Misnii, & Francones, & Austrici,
& Carinthii, & Bohemi, & Pannonii, quos
Germani vocant Hussaros, Exechiū oppidum
m. iii.

Ferdinandi
exercitus
cessus

ad Drauum flumen obsidebat, quod valido tenebatur à Turcis præsidio. Cùmque tempus tererent, & inedia coacti discederent: intercepti fuerunt ab hoste circumfuso, qui sylvas & aditus omnes preoccupauerat. E ducibus multi in hostium potestatem venerunt, abducti Byzantium in miseram seruitutem. Quar to Idus Octobris, Angliæ Regi natus est filius Eduardus, ex Ioanna Semera, quam ab Anna Bolenia duxerat in matrimonium. Interea Pontifex, quia per Belgiam erant induciæ, totus in hoc erat, ut per Italianam & reliquis etiam in locis, belli conquiesceret administratio. Pontificis consilium fuisse dicitur, ut illos iam pacatos, aduersus Britanniæ regem, cui erat infestissimus, atque Lutheranos, excitaret.

Paulus tertius initio sui Pontificatus, in Cardinalium numerum allegerat suos nepotes, vt supra diximus. Cùm autem hoc nomine minus bene audiret, alios quosdam nobilitate ac doctrina præstantes viros, hoc etiam est honore dignatus: partim ut inuidiam & offensionem leniret, partim ut idoneos haberet propugnatores, qui scriptis & eloquentia valerent. In his erat Gaspar Contarenus, Reginaldus Polus, Ioannes Bellaius, Fridericus Fregosus, Sadoletus, Aleander, Bembus. sed & de Erasmo cogitauit.

Eduardus
nascitur.

Liber